



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXV. Vtrum sit liber ad sperandum, cui reuelata est propria reprobatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

provenit, ut qui euidenter cognoscit ex aliqua causa prouenturum esse sibi infallibiliter aliquod bonum, non possit de tali bono desperare; quia nullus potest confingere motus in intellectu impellens ad desperandum: Imò nec sperare propè potest, quia tale bonum non habet arduum respectu habentis talem cognitionem, sed confidetur, ut præsens quodammodo, & iam habitum, atque ut tale parit gaudium expers sollicitudinis. Eadem est ratio de certitudine morali naturaliter habita, si comparatur cum impossibilitate morali desperandi.

Art. 3. At ob rationem contrariam desperare potest, qui per fidem cognoscit causam infallibilem boni desiderati; quia scilicet cum certitudine fidei coniungitur motus intellectus in contrarium, ex rationibus naturalibus illi resistentibus; atque is motus coniunctus cum propositione commodi temporalis, contradicenti similiter assensui fidei, & prosecutioni bonorum, quæ proponit fides, gignere facile potest desperationem in animo nimium ad luxuriam, vel accidiam propensam, quæ duæ sunt præcipuæ radices, & causæ desperandi, ut docet D. Thomas in præfati q. 20. art. 4. Neutro igitur ex capite deest actui spei libertas, aut contradictionis, aut contrarietatis. Nam in obiectione confunditur desiderium inefficax, cum efficaci, & confusum, ac indeterminatum, cum distincto, & determinato; Et similiter confunditur certitudo fidei, cum certitudine euidentiae.

QVÆSTIO XXXV.

Utrum sit liber ad sperandum, cui reuelata est propria reprobatio?

IDEATUR esse. 1. Quia ea reuelatio non aufert motuum spei, nec auxilia necessaria ad actum sperandi. Sicut enim stante promissione Dei de vita æterna, & habitis auxiliis gratiæ necessariis potest homo mori in peccato, & damnari; ita hoc futurum esse cognoscit Deus, & consequenter reuelare potest, stante eadem hypothese. Potest igitur sperare beatitudinem is, cui reuelata est sua reprobatio.

2. D. Petrus in sensu composito reuelationis de sua negatione, & peccato futuro retinuit libertatem ad non negandum Christum Dominum; & ad vitandum illud peccatum. Ergo is, cui reuelata esset sua reprobatio in sensu composito talis reuelationis retineret libertatem ad sperandum, & obtinendum beatitudinem. Patet consequentia. Quia hæc posterior reuelatio non est magis impossibilis cum hoc opere posteriori, quam prior illa reuelatio cum illo priori opere. Ergo neque cum possibilitate operis est magis impossibilis.

3. Deus potest reuelare homini viatori suam æternam damnationem; quia Deus potest dicere, ac reuelare, quidquid scit, cuiusque voluerit. Homini autem viatori, ut viatori inest inseparabiliter obligatio, ac per consequens libertas sperandi; sicut, & procurandi per bona opera suam beatitudinem. Hoc enim sublato, non est amplius viator, seu tendens in patriam. Ergo componi possunt in eodem reuelatio æternæ damnationis, & spes æternæ beatitudinis.

4. Reprobatio hominis, ac proinde, & reuelatio reprobationis est quid consequens ad liberam electionem humanam; quandoquidem est impediibilis per viationem peccatorum. Quod autem est consequens ad libertatem humanam, non potest nocere libertati hominis. Ergo reuelatio reprobationis, non secus,

ac ipsa reprobatio secundum se relinquit integram libertatem, sicut est ex sua natura, non minus ad sperandum quam ad quilibet aliud.

Art. 1. Resp. Negant possibilem huiusmodi reuelationem respectu hominis viatoris D. Bonavent. Altifiodoren. Argentin. & alij. Eaque supposita per impossibile, censent dari, & non dari libertatem ad desperationem; eandemque desperationem fore, & non fore peccaminosam. Laisius Turrianus & Francisc. Amicus cum alijs tumentur possibilitatem eius reuelationis, & ipsa posita negant libertatem sperandi; simul tamen affirmant obligationem non desperandi. Alij cum Coninch consentiunt his auctoribus quoad reliqua, negata solum possibilitate talis reuelationis respectu iusti, dum iustus est; tamen postea sit peccator, & damnandus. Et quidem quoad possibilitatem huius reuelationis, videtur aperte suffragari his auctoribus D. Thomas quæst. 28. de verit. art. 8. ad 2. dicens: *Quod Deus de potentia absoluta possit reuelare suam damnationem alicui; licet non possit de potentia ordinaria; quia talis reuelatio cogeret eum desperare.*

Art. 2. Dicendum in primis est cum D. Bonaventura. Reuelationem æternæ damnationis esse impossibilem essentialiter cum statu viatoris. 1. Quia status æternæ damnationis est essentialiter impossibilis cum statu viatoris. Sed reuelatio æternæ damnationis constituit in statu æternæ damnationis; ergo est impossibilis essentialiter cum statu viatoris. Patet maior, quia esse in termino essentialiter immutabili per totam æternitatem, qualis terminus est status æternæ damnationis; simulque esse in via, id est, habere aptitudinem euadendi eum terminum, & perueniendi ad terminum contradictorium, manifeste sunt impossibilia. Probatur minor, quia pena damni, per quam primario, & essentialiter constituitur status æternæ damnationis, consistit in manifestatione, ac intimatione sententiæ supremi iudicis, de æterna eadem damnatione, & æterna visionis Dei priuatione. Fieret autem ea manifestatio, & intimatio per eiusmodi reuelationem.

Art. 3. Pro claritate huius rationis, notandum est discrimen damnationis à Prædestinatione, & notitiæ vnius à notitiæ alterius. Cum enim effectus prædestinationis sit positivus potest dari eius notitia ante eundem effectum; hoc est ante visionem Dei, & statum beatitudinis, nec enim repugnat aliquid prævideri, antequam sit. Quia verò status damnationis, quoad suum conceptum essentialiter constituitur per priuationem beatitudinis, atque priuatio qualibet est essentialiter inseparabilis, à quolibet ente positivo essentialiter impossibili cum termino, quo priuatur, patet notitiam infallibilem æternæ damnationis, qualis notitia est, quæ fundatur in reuelatione Dei, esse inseparabilem essentialiter ab eadem æterna damnatione; quia est essentialiter impossibilis cum æterna beatitudine: ac proinde non posse eam notitiam existere, ante ipsam damnationem passivam, & statum supremæ infelicitatis afficientis intrinsecè, & ex tunc reddentis infelicem, sicut potest infallibilis notitia prædestinationis existere ante beatitudinem, quia hæc est distincta, & separabilis à sui notitia intrinsecè certa; illa verò nequaquam.

Art. 4. Probatur rursus eadem implicantia. Quia ea reuelatio, nec esset credibilis, nec incredibilis respectu viatoris, cui fieret. Non esset incredibilis, quia eo ipso daretur locutio diuina inepta, & insipiens, sicut locutio ad absurdum. Nec esset credibilis, quia eius fides, siquidem esset propria viatoris, esset meritoria Gloriæ, vel de condigno, vel de congruo; prove contingeret eum viatorem esse iustum, vel iniustum. Neutro autem modo meritoria esse posset; quia essentialiter penderet à reuelatione, quæ redderetur fallax.

falsa, exhibitione Gloriae; ac proinde si ea fides esset meritoria, deberetur credenti falsificatio reuelationis, vel certe esset congruum, vt falsificaretur reuelatio. Quia item in re, est notanda differentia reuelationis de praedestinatione; aut etiam glorificationis ante mortalitatis terminum, quia reuelatio praedestinationis, non est impossibilis cum praemio, & merito respectu praecedentis, & aliorum; & glorificatio, seu beatitudo animae est composibilis cum merito gloriae corporis respectu sui, & respectu aliorum, etiam animae; ideoque est composibilis ea reuelatio, & status Beatitudinis, cum statu viatoris, vt accidit in Christo. At de reuelatione, & statu reprobationis, est alia, & opposita ratio, vt patuit.

Art. 5. Probatu denique, quia viator habens reuelationem suae damnationis teneretur, simulque non teneretur sperare. Teneretur, quia est de ratione viatoris, vt possit, & teneatur tendere in suum finem. Non posset autem in eum tendere, quin speraret, quia vt dicit Philosophus. *Nemo desperans de fine operatur*; seu adhibet media ad eius consecutionem, idemque constat ex dictis in quaest. de ultim. fine: Teneretur etiam ad procurandam iustificationem, si esset in peccato, & ad conseruandam, reddendamque magis certam si non esset, & neutrum horum praestari potest sine spe, vt dicitur in quaest. de Poenit. Non autem teneretur sperare, quia reuelatio aeternae damnationis cogit desperare, vt paulo ante dicebat optimè D. Thomas, qui similiter negat in praesenti, q. 18. art. 3. dari spem in damnatis, idque vnicè probat, quia sunt conscijs aeternae suae damnationis.

Artic. 6. Ratio est, quia obiectum formale spei est Deus promittens beatitudinem, & quae spectant ad Beatitudinis consecutionem, vt apparet ex dictis supra. Hoc autem obiectum aufertur reuelatione aeternae damnationis, quoad conceptum suum formalem relatiuum, & vim motiuam, ac allicitiuam voluntatis promissarij. Promissarius enim cognoscens certo absolutam, & immobilem voluntatem promittentis nunquam exequendi rem promissam; non potest deinceps vllam facere estimationem practicam promissionis, aut ea permoueri, vel ad concipiendum fiducialiter aliquem affectum, vel ad peragendum aliquod opus; vnde cumque demum, & quomodocumque in eam notitiam deuenerit, dummodo ea sit certa. Quod ipsa rei consideratione facile, & efficaciter vnusquisque animo insinuat, & hac praeterea ratione suadet.

Art. 7. Vel promissio est omnino absoluta, & gratiosa, vel est conditionata, & onerosa. Si primum res est manifesta, quia tunc reuelatio non exequendi rem promissam est, vel reuelatio frustrandi promissionem sola promittentis voluntate, quod non cadit in Deum, vel reuelatio promissionis ab initio conceptae cum aliqua limitatione latente vsque ad instans eius reuelationis. Quod perinde iam est respectu promissarij, atque nullam esse, aut fuisse promissionem sibi factam. Si secundum, perinde id valet, atque promittere executionem rei promissae, quantum est ex parte promittentis, si non steterit per promissarium, hoc est nihil acturum esse promittentem, quantum est ex se, quo impediatur, vel executio rei promissae, vel praestatio conditionis; cui promissioni opponitur anticipata manifestatio voluntatis absolutae non exequendi rem promissam. Quia anticipata ista manifestatio praecedit vires generose operandi, & praestandi conditionem, vt obtineatur finis promissionis. Vnde vltius noscitur, eandem anticipatam manifestationem damnationis aeternae falsificare se ipsa supremi iudicis sententiam. Quia manifestat sententiam latam, ob defectum conditionis independentem à sententia illum punientem. Cum tamen ipsa sententia antecedenter

manifestata sequatur idem defectus dependenter ab eadem sententia; ea scilicet praecedente vires operandi, ac poenitendi, per prauam manifestationem sui.

Art. 8. Dicendum rursus est cum D. Thoma, posse Deum de potentia absoluta reuelare, cui volet suam aeternam damnationem, ante ultimam periodum vitae mortalis, absoluendo eum à statu viatoris, & ab obligatione propria talis, & cogendo ad desperandum desperatione negatiua; & consequenter alterando ordinem Prouidentiae de facto existentis, & connaturalis rebus creatis. Certè in hoc nulla apparet metaphysica implicatio, ob quam negetur. Et praeterea peccatum, ob quod quis re ipsa damnabitur, quantum est de se est dignum anticipatione mortis, & poenarum omnium; ergo etiam non anticipata morte, cuius anticipatio esset pars aliqua poenae, potest iuste reliqua poena, vt libuerit Deo, anticipari, & sententia eius inflictiva praetintimari ante mortem. Quod autem eo ipso absolueret talem reprobum, à statu, & ab obligatione viatoris propria, constat satis ex dictis in praecedenti conclusione.

Art. 9. Indidem etiam constat eundem reprobum coactum iri ad desperandum desperatione negatiua. Sed pro intelligentia huius restrictionis sciendum est duplex esse genus desperationis. Aliud nimirum est constitutum per dolorem, & tristitiam deiectionis animi, ex amissione irreparabili bonorum, quae sunt obiectum spei, ortam ex cognitione non futuritionis, & impossibilitatis, hic, & nunc eorundem bonorum, ad eum ferè modum, quo desperantur fructus ex arbore iam sterili: atque hic desperandi modus non est intrinsecè malus, resultatque necessariò in omnibus damnatis patientibus actu poenam aeternae damnationis, & consequenter in eo etiam, cui ea poena esset intimata ante tempus, & circumstantias ordinarias. Alterum desperationis genus constituitur per affectum contemptum diuinæ Omnipotentiae pietatis, & permissionum; atque hic affectus est intrinsecè malus, nec resultat vnquam necessariò, vel in viatoribus; vel etiam in damnatis; ac proinde, nec in eo, cui damnatio esset praetintimata ante mortem. Potest tamen à damnatis committi huiusmodi peccatum per actum conditionatum; sicut supra dictum est de infidelitate, quatenus nolunt inniti potentia, pietate, & promissionibus diuinis, tametsi promptum, ac paratum sibi esset auxilium diuinum ad id sufficiens, & dolent, quod illis nitantur viatores, qui sperant; eaque de causa contemnant motiua temporalia contraria. Ista itaque posterior desperatio, quae dicitur postitua, non induceretur necessariò per reuelationem anticipatam damnationis; sed tantum prior, quae dicitur negatiua. In viatoribus autem neutra desperatio est separabilis ab altera, vt potè habentibus diuinas promissiones sibi propositas, absque vllò impedimento eas prosequendi si velint.

Art. 10. Alteratio denique ordinis diuinæ Prouidentiae existentis de facto, eiusdemque connaturalis rebus creatis est ex se conspicua. Quia Deus promittit de facto vitam aeternam omnibus non decedentibus in impoenitentia finali, & eo vsque expectat omnes, vt poeniteant, alliciens ad poenitendum per eam ipsam promissionem, quin vllus certò sciat, an amore, an odio dignus sit, vt sic vnusquisque cum timore, & tremore suam ipsius salutem operetur. Cuius contrarium futurum esse in euentu proposito liquet ex dictis circa priorem conclusionem, maximè ex 3. eius probatione. Sed in eo, vel maximè alteratur ordo Prouidentiae ordinariae, quod eiusmodi reuelatio non innotesceret per argumenta credibilitatis relinquenda libertatem credendi, & non credendi, vti dictum est supra de facto fieri. Sed innotesceret per argumenta

menta cogentia ad assentiendum. Certum nimirum videtur, intimationem æternæ damnationis ex conceptu suo formali, ac essentiali habere rationem pœnæ non secus, ac æternam ipsam damnationem passivam, quam dictum est, quoad suum conceptum primarium, ac essentialem, incipere, nec distingui ab ea intimatione; de qua ratione pœnæ, alibi ex Augustino multiplici cum fundamento dicendum est. Est autem de ratione pœnæ, ut sit involuntaria reo, vel saltem, ut non pendeat à libera ipsius voluntate eam pati, vel non pati. Extorqueretur igitur assensus eiusmodi revelationis non insinuatione, & promissione præmiorum, & sola propositione argumentorum credibilitatis, uti fit de facto; sed argumentis omnino insuperabilibus, & incapacibus liberæ resistentiæ, uti extorquetur à damnatis in inferno.

Art. 11. Ex eodem principio deducitur talem revelationem, nec de potentia absoluta fieri posse homini iusto, dum iustus est; quia dum iustus est, nondum est dignus pœna damnationis. Est autem essentialis pœnæ, ut non infligatur immerenti per anticipatam solutionem, de quo erit alius agendi locus.

Art. 12. Deducitur deinde revelationem damnationis Antichristi iam nobis factam, non propterea intelligi iam dispositam, ut fiat ipsi Antichristo viatori. Quia nobis fit per argumenta credibilitatis, relinquenda indifferentiam credendi, & non credendi, per quæ certissime non fiet Antichristo, nequaquam permissum, ut mysteria nostræ fidei reddantur sibi proximè, & immediatè credibilia, impediendo prædicationem, & instructionem sufficientem respectu sui; quique proinde alio modo cogendus à Deo esset, ut assentiretur prædictioni damnationis suæ, si Deus vellet eam ipsi revelare revelatione cognita per assensum ab eo, cui fit, de cuiusmodi revelatione disputant in præsentī Theologi.

Art. 13. Deducitur denique sententiam Christi circa Iudam. *Melius illi erat, si natus non fuisset homo ille*; non fuisse revelationem damnationis directam ad ipsum Iudam; sed solam ponderationem, & expressionem magnitudinis malitiæ, quæ inerat peccato proditoriae traditionis. Certè non solum ipsi Iudæ; sed nec ulli alij esse certam certitudine fidei ex illo testimonio reprobationem illius, communis, & vera interpretum, aliorumque auctorum sententia est. Concluditur igitur ex dictis revelationem reprobationis esse impossibilem cum spe Theologica, nec fieri posse ulli, aut obligatio, aut propriè potenti ad sperandum.

Ad 1. Ostensum iam est revelatione æternæ damnationis auferri motivum formale spei, nec promissionem beatitudinis retinere amplius posse vim, & rationem formalem promissionis; nec eandem esse quoad hoc rationem de scientia diuinæ damnationis, & de revelatione.

Ad 2. Revelatio peccati futuri non aufert legem prohibitivam peccati, nec vlla ex parte vim eius obligatoriam imminuit, ut patet; atque idè post eam revelationem peccati non minus potest, & omitti peccatum, quam si talis revelatio facta non fuisset. At revelatio æternæ damnationis aufert obiectum spei, certè labefaciat vim omnem motivam diuinæ promissionis, ut dictum est. Nulla igitur est paritas. Deinde D. Petrus non peccavit in sensu composito actualis notitiæ, & assensus de revelatione sibi facta; sed post peccatum meminit verbi, quod sibi dixerat Christus Dominus. In præsentī autem quaeritur de possibilitate sperandi in sensu composito actualis notitiæ certæ de revelatione damnationis. Est igitur abs re casus revelationis factæ D. Petro, ut nihil in præsentī discutiatur de natura, & qualitate illius.

Ad 3. Falsum à primis est Deum posse revelare quicquid scit; neque enim revelare posset voluntatem nihil unquam creandi, aut nihil revelandi possum, ut credatur aliqua eius revelatio. Deinde anticipata revelatio alicuius eventus, quæ sit impossibilis, quatenus anticipata est, cum alia voluntate efficaci Dei, & cum eius effectu, est impossibilis respectu subiecti, cui inest talis effectus. Ostensum autem est voluntatem revelandi æternam damnationem esse impossibilem essentialiter pro eodem tempore, cum voluntate efficaci, quæ constituit hominem in ratione viatoris potentis, & obligati ad superandum. Ergo ea revelatio, componi non potest cum hoc statu.

Ad 4. Non potest nocere libertati hominis respectu alicuius actus, quod est consequens respectu eiusdem actus. Nocere tamen potest respectu alterius actus, si illud ipsum sit simpliciter antecedens respectu eius. Reprobatio autem, & revelatio reprobationis, licet sint quid consequens respectu peccatorum, ob quæ unusquisque reprobat; non tamen sunt quid consequens, sed quid simpliciter antecedens respectu assensus, quo utraque cognoscitur: Unde neutra impedit libertatem respectu peccatorum ob quæ quis reprobat; impedit tamen libertatem ad assensum fidei circa se, & multò magis ad actum spei pendentem à tali fide.



QVÆSTIO XXXVI.

Utrum Spes solis viatoribus inesse possit?

VIDEATUR non solis ipsis inesse posse. 1. Quia ad sperandum aliquid non necesse est, ut præcognoscatur pro priori natura, tanquam futurum: Sed sufficit si cognoscatur, ut possibile, & arduum, ac subitans promissioni diuinæ, cum præcisione ab absentia, & præsentia. Etenim voluntas perinde afficitur ad ea, quorum præsentia nondum cognoscitur positiuè, atque si essent absentia realiter. Existente autem, pro priori naturæ, cognitione beatitudinis præscindenti ab absentia, & præsentia eius reali; potest pro posteriori naturæ infundi visio beatæ, aut immitti cognitio certa damnationis æternæ. Ergo actus spei componi potest cum statu tum beatitudinis, tum reprobationis. Confirmatur respectu beatitudinis. Quia spes est causa inductiva ipsius, & vi sua perducit hominem ad beatitudinem. Est autem de ratione causæ, ut non sit impossibilis cum suo effectu; neque cum termino ad quem perducit vi sua.

2. Christus Dominus speravit sibi gloriam corporis, sicut sperant etiam animæ beatæ; & cæteris speravit præterea gloriam animæ: Similiter reliqui Beati sperant sibi gloriam accidentalem, & nobis omnia dona Gratiæ, & Gloriæ, quæ impetrant precibus suis. Fundunt enim eas cum spe obtinendi, quæ petunt. Ergo spes dari potest in beatis.

3. Ut actus spei negentur impossibiles cum beatitudine, habitus tamen spei, non videtur negandus Beatis: Quia potest illis inferuire ad ornatum; cum si donum supernaturale, & quidem præstantissimum.

4. Beati possunt elicere actus spei saltem conditionatos, sicut potest honestè misereri conditionatè, & velle pati Martyrium, & similia, qui non habet actum absolutè, unde, aut cui misereatur, aut à quo Martyrium inferatur. Ergo ponendus est in Beatis habitus